

S· G· B· T· B·

1661

26. A.h

Min / A

T. q. 259.



COLLEGII TERTII  
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO XXIX.

continens

ΑΝΤΙΘΕΣΕΙΝ ΑΡΤΙΚΥΛΙ VII.

De Ecclesia,

Et in specie,

DE QUÆSTIONE

An Ecclesia Apostolis omnibus  
fuerit à Christo commendata.

Proposita

In Electorali Academia VVittebergensi,

P R A E S I D E

JACOBO MARTINI S.S. Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

R E S P O N D E N T E

M. CHRISTOPHORO Schulz Regio-  
montano Boruss.

In Auditorio Collegii Veteris

Ad diem 27. Decembr.

---


WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typogr. AMBROSII ROTHI, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXX.

62





D. O. M. A.

Continuatio.

**I**ximus supra Becanum quæstionem de Primatu Petri tractare, *κατασκευασινῶς*, suam opinionem adstruendo; & *ἀνασκευασινῶς*, nostram sententiam impugnando. Quid ibi præstiterit, vidimus, penes Christianum & veritatis cœlestis amantem lectorem sit judicium: restat nunc ut videamus, quomodo sententiam nostram impugnet, & contra objecta argumenta disputet.

THESES I.

Sic autem in manuali suo pergit Becanus §. 47. *Multa objicit Marcus Antonius, quæ fusè à me refutata sunt lib. 2. de Repub. Eccles. cap. 7.* Ergo mittamus iam manuale, & quid in allegato libro disputetur, examinemus. Ibi autem septem argumenta enumerat. 1. Ecclesiam Apóstolis omnibus commendatam esse. 2. Evangelium reprobare Primatum inter Apostolos. 3. Ipsos Apostolos in Petro non agnovisse Primatum. 4. Neque Petrum ullum unquam exercuisse. 5. Pauli reprobationem, quæ Petrum objurgavit, destruere Primatum Petri. 6. Idem colligi ex scriptis Pauli. 7. Et ex comparatione Petri & Pauli. Atque hæc est summa objectorum omnium, quæ ibi Becanus refutare assumit.

II. Prima ergo ratio qua Marcus Antonius de Dominis Petri primatum destruit, hoc potest syllogismo includi:

A 2

Qui-

Quibus Christus & que ac Petro, & nequaquam huic magis quam illis, commendavit Ecclesiam; illorum, ut & totius Ecclesiae Caput & Monarcha nequaquam constitutus est Petrus: Atqui Apostolis omnibus & que ac Petro, & nequaquam huic magis quam illis, commendavit Ecclesiam suam: Ergo Apostolorum ut & totius Ecclesiae Caput vel Monarcha nequaquam constitutus est Petrus.

III. Minorem dicit Becanus lib. 2. de Repub. Eccles. cap. 7. §. 2. Antonium dupliciter probare. 1. ex Scriptura. 2: ex Patribus. Ubi initio notandum est, quod innuit Becanus, Minorem ex sententia Antonij duas habere partes. 1. Christum commendasse suam Ecclesiam omnibus discipulis. 2. Christum suam Ecclesiam omnibus discipulis & que commendasse. Pergit igitur & refert, Antonium priorem partem hisce duobus Christi dictis probare velle. 1. Quod Christus dixit omnibus Apostolis. *Sicut memisi Pater, ego mitto vos. Deinde, Euntes docete omnes gentes.* Ergo tale erit argumentum: Quos Christus misit, sicut ipse a Patre missus est, quibusq; mandatur, ut euntes doceant omnes gentes, illis omnibus Christus suam Ecclesiam commendavit: Atqui omnes Apostolos, non solum Petrum, misit Christus, ut ipse missus est a Patre; omnibusque mandavit, ut euntes doceant omnes gentes: Ergo omnibus Apostolis, & nequaquam soli Petro, suam Ecclesiam Christus commendavit. *Quod autem (pergit Becanus) & que omnibus, inde colligit Antonius: Quia omnes & que docuit & instruxit; omnibus & que misit Spiritum Sanctum in die Pentecostes:* Unde tale potest formari argumentum: Quos Dominus & que docuit, & instruxit; quibus & q; misit Spiritum Sanctum in die Pentecostes; qui Apostolos suis donis & que informavit, illuminavit, magnalia Dei omnibus linguis eloqui docuit, ad hoc, ut Ecclesiam in universo mundo plantarent, propagarent, & regerent; illis & que Ecclesiam suam Christus commendavit: Atqui omnes Apostolos Dominus & que docuit & instruxit; illisq; omnibus & que misit Spiritum sanctum &c. Ergo omnibus Apostolis Christus suam Ecclesiam & que commendavit.

4. Re-

IV. Respondet Beccanus lib. 4. de Repub. Eccl. c 7. & repetit iisde verbis in manuali. Prior pars argumenti vera est, quod Christus commendaverit suam Ecclesiam omnibus Apostolis: posterior falsa est: quod æque omnibus commendaverit. Nam soli Petro dixit: Pasce oves meas. Igitur pastura ovium omnium, soli Petro, non aliis, commendata est. De quo supra.

V. Antequam ad cætera, quæ Beccanus subjicit, progrediatur, non possumus silentio involvere, dubitare nos, Marci Antonium argumenta, quæ pro se ex Scriptura adduxit, ita ut Beccanus refert, distinxisse. Sed ut sit, non multum curamus: certum interim esse constanter asseveramus, Ecclesiam, æque omnibus Apostolis commendatam esse; si non manifestore, omnino tamen æque manifestâ ratione, ex prioribus Scripturæ testimonis, atq; ex historia effusionis Spiritus sancti super Apostolos, die Pentecostes factæ, probari.

VI. Sic argumentor: Quos Christus, ut ipse à Patre missus est, (nempe ad annuciandam pacem, & liberationem captivis, & annuciandum annum salutarem ac placabilem Domini) sic quoq; misit, ut præconio & ministerio suo, opus ab ipso ceptum feliciter continuarent, & lætum illud nuncium pacis, per ipsum partæ, in toto terrarum orbe annunciarent & divulgarent: 2. quibusque arrham muneric Apostolici æqualiter contulit, Spiritum sanctum scilicet, tanquam totius ministerii directorem insufflando ac dicendo: Accipite Spiritum sanctum. 3. & tandem æqualiter dedit claves regni cœlorum, eorumque potestatem, tanquam insignia Apostolicæ hujus renunciationis, ut ostenderet, quam latè se ipsorum ministerium extenderet; illis utique æqualiter Ecclesiam suam commendavit. At omnes æque Apostolos suos Christus misit, ut ipsum misit Pater, omnibusq; illis insufflando dedit Spiritum sanctum & claves Ecclesiæ &c. Ergo omnibus Apostolis æque commendavit Ecclesiam.

VII. Major extra omnē controversiam vera est: Quibus enim à Christo ita conreditur Ecclesia, ut ipsi commendata est à Patre; idque sine ullo discrimine; illis æqualiter com-

men-

mendatum est omne illud, quod ad docendam & gubernandam Ecclesiam pertinet. Quibus omne id quod ad docendam & gubernandam Ecclesiam pertinet datum est equaliter; inter illos non potuit uni aliquid pertinens ad illam gubernationem præ aliis datum esse, quod cæteris non simul & æquè fuerit datum: Nam alias hic unicus, nempe Petrus solus, ita missus esset à Christo, ut ipse Christus missus est à Patre, cæteri vero non: Quod est contra manifesta Christi verba: quibus æquè omnes ita à Christo mittuntur, ut ipse missus fuit à Patre. Quocirca unicum hoc medium ad demonstrandum apodicticè, omnibus Apostolis æque commendatam à Christo esse Ecclesiam, sufficeret.

VIII. Ad hoc verò adhuc duo accedunt, nempe. i: quod æq; Christus insufflando dederit Spiritum sanctum, qui in Ecclesiastico illo munere ad ministrando unicus ipsorum, & sic singulorum; æque Petri ac cæterorum & æque cæterorum ac Petri doctor, ductor, & director esse deberet; ut ita externo directore homine, opus non haberent. Sic ergo argumentamur: Quibus omnibus Spiritus sanctus doctor ductor & director in officio Ecclesiastico & Apostolico (ad quod jam modo confirmati erant,) recte administrando à Christo est æq; promissus & datus; illis, ut potè externo doctore, ductore & directore, & sic nullo pastore indigentibus, hic æque Ecclesia à Christo commendata est: Atqui omnibus Apostolis æque Spiritus Sanctus doctor, ductor & director in officio Ecclesiastico & Apostolico &c. recte administrando à Christo est æque promissus & datus: Ergo omnibus Apostolis hic æq; commendata est Ecclesia.

IX. Deinde: Quibus tota potestas clavium, & sic tota potestas Ecclesiastica æq; commendatur; illis tota Ecclesiæ gubernatio, & sic ipsa Ecclesia æque commendatur. Atqui hic omnibus Apostolis potestas clavium, quæ est tota potestas Ecclesiastica, æque commendatur. Ergo hic omnibus Apostolis tota Ecclesiæ gubernatio, & sic Ecclesia ipsa æque commendatur.

10.Ter-

X. Tertiō apodicticē demonstratur ex altero Scriptū  
re loco Matb.28,v.19. & Mare.16.v.15. hoc modo. Quibus o-  
mnibus & singulis Christus jam in cœlum ascensurus com-  
mittit & que totū ministerium docendi omnes gentes & crea-  
turas; illis & que cōmendat universam Ecclesiam: Atqui omni-  
bus & singulis Apostolis, Christus jam in cœlum ascensurus  
cōmittit & que totum ministerium, locis allegatis: Ergo Chri-  
stus Apostolis omnibus & singulis &q; commendavit illis lo-  
cis universam Ecclesiam. Majoris ratio est manifesta. Nam  
1. Si voluisset Christus distinctionem aliquam, & gradus esse  
ministerii & gubernationis Ecclesiæ inter Apostolos, omnino  
illius distinctionis & illorum graduum mentionem fecisset in  
ultimo illo mandato, & ipsa in universum mundum ablega-  
tione: alias enim sub generali illa allegatione & quivocatio-  
nem occultasset. Quod sane sine blasphemia Christo non  
tribuitur, cum istiusmodi & quivocatione sit deceptio.

XI. Quartō, quod dicit Christus locis allegatis, *Eun-*  
*tes docete omnes creaturas*: illud explicat idem Servator noster  
*Luc.24.v.46.* de prædicatione pœnitentiae & remissione pecca-  
torum, quando in hæc verba desinit: *Sic oportebat Christum pa-*  
*ri, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccato-*  
*rum in omnes gentes.* Hic autem absurdè sibi aliquis Jesuita i-  
maginabitur prædicationem pœnitentiae & remissionis pec-  
catorum theoreticam, quæ sine praxi sit; cum utriusq; perfe-  
ctio in praxi consistat. Praxis autem illa omnino gubernatio-  
nem Ecclesiæ includit, & si qua talis esset jurisdictio, qualem  
sibi imaginantur Papani, & tribuunt Petro, hoc est Pontifici,  
utique in illis duabus partibus contineretur. Sed noli crede-  
re qui discipulus Christi es: neque hic neque ullibi in universâ  
Scriptura istiusmodi jurisdictio fundata est. Somnium est sine  
somno. Sed ponamus illius quoddam indicium in Scriptura  
reperiri, pertineret tamen non ad solum Petrum, sed omnes  
Apostolos: proindeque non sine maxima tyrannide, & modo  
plane Antichristiano cæteris Christi ministris illam Papa Ro-  
manus præripseret, & sibi soli tribueret. Sed ut innuimus, so-  
mnium est male dormientis Papani.

12. Quin-



XII. Quintò: Si ergo verum, ut longe est verissimum,  
Christum omnibus & singulis suis Apostolis Matth. 28. v. 19.  
Marc. 16. v. 15. æqualem potestatem deditse prædicandi pœni-  
tentiam & remissionem peccatorum , sanè vel omni firmissi-  
ma apodixi certius erit, Christum suis discipulis æque suam  
commendasse Ecclesiam. Ratio est manifesta: Nam potestas  
illa prædicandi, hoc est, ministerium verbi datur propter Ec-  
clesiam: quippe quo servitur Ecclesiæ: Arquiverò Ecclesia  
commendatur Apostolis, ut illi inserviant: Ergo quibus æque  
mandatur inservire Ecclesiæ , illis quoque æquè commenda-  
tur Ecclesia. Atque sic certum esse confido, ex dictis illis priori-  
bus, non tantum probari , omnibus Apostolis commendata  
esse Ecclesiam: sed etiam apodicticè demonstrari, omni-  
bus & singulis Apostolis Ecclesiam Aequè à Christo comen-  
datam esse.

XIII. Quod autem ad Argumentum Antonii ultimum  
attinet, nihil ad id scit respondere Becanus, quam suum Coc-  
cysmum & absurdam petitionem principii, Christum soli Pe-  
tro dixisse *pascet ovet meas*. Petatio, inquam, principii est. Nam  
in præcedentibus ad oculum apodicticis non tantum rationi-  
bus, sed etiam Patrum testimoniis & autoritatibus compro-  
bavimus, committere Jesuitam, hunc locum tam perverse ac-  
commodando, fallaciam causæ: cum Christus singulariter Pe-  
trum ita examinare, & ter interrogare, an ipsim amaret, & ad  
triplicem ejus confessionem, suas oves ipsi commendare vo-  
luerit, non ut ipsum caput vel Monarcham constitueret Apo-  
stolorum & totius Ecclesiæ ; sed ut in integrum restitueret.  
Quia enim (ut Cyrillus loquitur) turpiter Christum abnegave-  
rat, hoc honore Apostolatus merito privatus erat: Ut igitur de  
ejus autoritate constaret, voluit Christus eum singulariter &  
communiter insignire. Singulariter, ut quod per abnegatio-  
nem perdiderat, per hoc singulare mandatum reciperet, id est,  
ut restitueretur in eum locum , quo ante abnegationem fue-  
rat. Communiter ut cum reliquis Apostolis haberet parem  
honorem, autoritatem & potestatem, id est, ut acciperet ean-  
dem.

dem potestatem & autoritatem, quam Apostoli post resurrectionem Christi à Christo acceperunt. Hæc & nulla alia fuit causa, quod Christus Petro suas oves singulariter commendaverit; ut omnes Patres hunc locum interpretantur, uti in præcedentibus demonstravimus pluribus.

XIV. Et quod nullam prærogativam aut jurisdictionem per hoc Christi mandatum præ reliquis Apostolis accepit Petrus, id etiam manifestis Scripturæ dictis recte junctis & simul sumtis, constat: Matth. 28, v. 19. Docete omnes gentes, Iohann. 20, v. 23. Quorumcunque remiseritis peccata, remissa sunt eis. Marci 16, v. 15. Prædicate omni creaturæ. Actor. 1, v. 8. Eritis mihi testes in omnibus locis. Ioh. 20, v. 23. Sicut me misit Pater, sic & ego mittos. Unde sic dicitur in libro conclusio: Quos & quæ omnes mitit Christus, ut ipse missus est à Patre ad omnes creaturem, ut ipsi sint testes in omnibus locis, doceantque omnes gentes, & prædicens omni creaturæ, accepta simul æquali potestate, ut cui remitterent peccata, remissa essent in cœlo; & cui retinerent peccata, retenta essent in cœlo; illis omnibus & quæ commenda est Ecclesia: sed illud dicitur locis allegatis de omnibus & qualiter Apostolis: Ergo omnibus Apostolis & quæ commenda est à Christo Ecclesia: proindeque Petro nihil peculiariter istis locis tribuitur. Verum hæc generalis missio & inaugratio Petro non sufficiebat, Apostoli hoc officio erant decorati, priusquam Christus pateretur: Quia autem illam lapsu suo, & abnegatione perdiderat, singulari inauguratione opus erat, ut ex Cyrillo diximus, & supra pluribus demonstravimus.

XV. Sed excipit Beccanus: Nec valet, inquiens, hæc tuus consequentia: Omnes & quæ instruti sunt, & & quæ spiritum sanctum acceperunt: Ergo unus non habet maiorem jurisdictionem quam aliud. Nam aliud est loquide doctrina & sanctitate, aliud de jurisdictione. Alioqui Rex in regno, si non haberet maiorem doctrinam & sanctitatem quam subditi, non etiam haberet maiorem jurisdictionem. Nec tu Marce Antoni, si haberet Sacellum, pari doctrina & sanctitate, non esses ipsis superior, quo adjurisdictionem. Quæ omnia absurdas sunt. Et ratio à priori est: quia jurisdictione per se non pendet

majori doctrina & sanctitate: Nec fortasse verum est, quod afferis de aequali instructione. Nam Paulus Apostolus fuit raptus in tertium cœlum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Quid si ille magis instructus fuerit, quam reliqui Apostoli? Certe id admodum verisimile est. An ideo majorem habuit jurisdictionem, quam alii Apostoli: Hactenus nemo id dixit.

XVI. Primum concedimus quidem, quod jurisdictione per se non pendeat à majore doctrina & sanctitate. Interim quando æquales dantur doctrinæ & sanctitate, & inter illos unus cæteris quoad jurisdictionem debet præferri: tum novo argumento demonstrandum est, illi uni in ceteros jurisdictionem esse concessam & demandatam. Id vero hactenus nondum præstiterunt Jesuitæ. Quandoquidem demonstravimus, id verba illa, *pascere oves meas*, nullo modo probare. Nam, *pascere*, Ecclesiasticis personis tributum, nequaquam significat jurisdictionem exercere. Quoties ergo illud adducit Becanus, toties petit id, quod in principio est. Quādoquidem magna differentia est inter administrationem Regis & Episcopi: Episcopus enim pastor est, ut servus: Rex vero pastor est, ut Dominus Luc. 22, v. 25. Reges gentiū dominantur, vos autem non sic. Quare argumentari: *Rex pascit, ut Dominus & cum jurisdictione in subditos*; Ergo & Episcopus pascit ut Dominus, & cum jurisdictione in oves Christi, maxima inscitia est. Taceo, quod neq; verbum pascere, neq; nomen oves, in nativa significatione acceptentur. At ex allegoriis nullum firmum argumentum deduci posse, ipsem Bellarminus lib. 3. de verbo Dei ostendit:

XVII. Ceterum dicant nobis quoque Jesuitæ, qualis sit hæc consequentia: *Pascere* tribuitur Magistrati Politico: ergo pascere idem est, quod jurisdictionem exercere: & proinde quia de Petro dicitur, illi jurisdictionem tribuit. Quasi vero, omnia, quæ tribuuntur Regi sive Magistratui, significant jurisdictionem exercere. Dicitur de Rege, quod sit Pater Patriæ, significatne propterea Pater, habere jurisdictionis possessionem, vel exercitium; etiam tum quando Magistratui tribuitur. Sane omnes, qui latinam linguam saltem obiter aspexerunt,

runt, negabunt. In subjecti quidem, nempe Regis & Magistratus significacione, sive etiam potestate involvitur jurisdictione. (Rex enim quatenus Rex & Magistratus, quatenus talis, jurisdictionem habet: illam enim si non haberet, neque Rex neque Magistratus esset.) Verum prædicatum hoc Pater Patriæ, quia in sua significacione nihil de jurisdictione vel ejus exercitio continet, nihil etiam illius subjecto tribuit: sed dūtaxat exercitium jurisdictionis, in potestate sive significacione subjecti contentū, limitat, nempe dicit, quale illud esse debeat, vel in bono Reges sit, ut potest non nimis severum, vel austерum, vel plane tyranicum, sed paternum. Ergo Patrem esse non dicit jurisdictionem exercere, sed ejus exercitium esse paternum.

XVIII. Sic quoque verbum *pascere*, neque propriè neque impropriè significat jurisdictionem exercere, proindeque quando Regi sive Magistratui jurisdictionem possidenti, tribuitur tanquam prædicatum, non dicit de illo tanquam subjecto, quod habeat jurisdictionē in subditos, illamque exerceat: quippe quod in subjecti significacione continetur, & de illo sine hoc prædicato intelligitur, adeò, ut si subjectum non adsignificaret possessionem jurisdictionis, nemo illam perciperet ex prædicato & verbo *pascere*. Necesse est itaque, ut aliquid aliud de habente jurisdictionem dicat: nempe quod illam ita exercere debeat, ut subditis bene sit, omnes beatè vivant, floreant, pingueuant, crescant honoribus, opibusque, nec deficiant; sed proficiat, & quasi in tuguriis graminis accubet: Verbo! ut Rex sive Magistratus sit benignus & beneficus, semperque in memoria & conspectu habeat illam sapientum regulam: *Boni pastoris est tendere pecus, non deglubere*. Non igitur hoc verbum, *pascere*, Regi sive Magistratui tribuit jurisdictionem sive ejus exercitium: sed benignitatem & beneficentiam.

XIX. Quæcum ita sint, & verbum, *pascere*, nihil omnino jurisdictionis in suo significatu continet, etiam tum quando Magistratui tribuitur, testantibus omnibus Lexicographis, & qui latinam vel græcam linguam intelligunt: quomodo illi subjecto, quod itidem in sua potestate nihil illius complectitur.

vel possessionem vel exercitium jurisdictionis tribuet? quod modoque de subjecto hoc, nempe *Episcopo*, quod nihil minus quam jurisdictionem vel significat vel consignificat, jurisdictionem prædicabit, vel saltem limitabit? Hæc sane ipsis radiis solaribus solstitialibus clariora sunt.

**X X.** Nihilominus adhuc unum Jesuitis perpendendum propono. Ipsi dicunt, hæc verba, *pascere oves meas*, Monarchiam Ecclesiasticam significare: Nos hoc negamus, contra affirmantes, oves Christi pascere, esse idem, quod fidelibus Evangelium prædicare, & Sacra menta administrare: & hoc ipsum ex aliis Scripturæ locis demonstramus. Cum igitur isti illam dicunt esse sententiam horum verborum, nos vero constanter negamus; quomodo, per Deum immortalem, verbis illis, in sua sententia allegatis, aliquid contra nos probare poterunt? Certè nihil possunt; semper enim contra nos ita disputantes, vitiosam petitionem principii commitunt. Nonne igitur commodius facerent, si secundum Augustini præceptum, illa seponerent, quæ obscurè sunt posita, (cum interim verba illa satis clara sint, glossis duntaxat papisticis obscurentur) & figurarum velaminibus involuta, & secundum nos & secundum illos possunt interpretari: De unitate Ecclesiæ cap. 5. Nam si ille aliquid obscurè & ambigue positum pro sua sententia interpretetur, & nobis aliud inde pateat dicere, quod pro nobis sonet, quis erit finis? ibidem.

**X X I.** Quocirca aut monstrant nobis Jesuitæ locum in Scripturis, in quo expresse & nominatim legatur, vel pascere Ecclesiam, sive oves Christi, esse Monarcham agere per universam Ecclesiam: vel Petrum esse Monarcham universæ Ecclesiæ à Christo constitutum; & manibus ac pedibus in ipsorum ibimus sententiam: Aut si hoc facere non possunt, desinant illud pro divino nobis obtrudere dogmate, quod ne minimum quidem in Scriptura habet fundamentum.

**X X II.** Deinde consequentia Antonii certa est: siquidem antecedens est intelligendum de subjecta materia: nempe omnes, qui æquè instructi sunt, & acceperunt Spiritum sanctum ad summum Apostolatus officium administrandum, ad quod antea

antea vocati & confirmati erant immediatè à Christo, ut nē pē Spiritus S. ipsorum doctor, duxor, rector, & gubernator es-  
set. Quare Antonii argumentum integrè formatum planè cō-  
gruit cum nostro, quod modo adduximus. Sic ergo proposi-  
tio est formanda: Qui immediatè à Christo eādem vocatione  
ad idem summum Apostolatus officium vocati & confirmati,  
postea ad illud recte administrandū & qualibus donis instruū-  
tur, & aequè Spiritum S. accipiunt, qui in summo illo officio i-  
psorum sit doctor, duxor & gubernator; illi in summo Apo-  
stolatus officio sunt aequales, neq; unus majorem habet juris-  
dictionem quam alius. Jam subsumat Becanus omnes Apo-  
stolos, & periculum faciat, an non apodisticè sequatur, omnes  
Apostolos in illo suo officio esse aequales, neq; unum majorem  
habere potestatem quam alterum.

XXIII. Consequentiam Majoris Jesuita negare non  
potest, adductâ suâ ratione: Nam aliud est simpliciter dicere:  
Omnes aequè instructi sunt, & aequè acceperunt Spiritum S.:  
Et omnes, qui antea ad unum idemq; officium, & quidē sum-  
mum Apostolatus, aequaliter & immediatè à Christo vocati  
fuerunt, ad officium illud recte gubernandum iisdem & aequa-  
libus donis sunt postea informati, & acceperunt Spiritum S.  
doctorem, duxorem, & rectorem: Ad illud quidem non; ad  
hoc vero omnino infertur illa nostra, & Antonii consequētia.  
Ubi enim plures 1. vocantur sine distinctione & sic aequaliter.  
2. eādem vocatione. 3. ad idem officium, & 4. quidem ad sum-  
mum, quo majus non datur: & 5. postea ad officium illud recte  
administrandum iisdem & aequalibus donis informantur. 6. &  
tandem eundem eodemq; modo & gradu accipiunt Spiritum  
Sanctū, qui ipsorum est doctor, duxor & gubernator, ut nullo  
alio externo doctore, duxore, rectore indigeant; qui dicit ibi  
plures illos in officio, ad quod vocati sunt & gerunt, aequales  
non esse, sed unum in alterum habere jurisdictionem, illum  
oportet magis irrationalē esse; atq; equum & mulum, qui non  
habent intellectum. Psalm. 32:

XXIV. Deinde sophisticè pervertit Becanus verba-

**A**ntonii, quippè qui non colligit hoc modo, *Omnibus Apo-*  
*stolis Christus suam Ecclesiam àque commendavit, quia omnes pares*  
*fuerunt doctrina & sanctitate: Sed: quia, inquit, omnes àquè docuie*  
*& instruxit: certe ibi nihil determinat, sed in genere loquitur,*  
*quod omnes omnibus ad officium illud administrandum ne-*  
*cessariis requisitis, & què, proindeq; & pari autoritate & pote-*  
*state instruxerit. In præcedentibus nobis persuadere satagit*  
*Jesuita, nos propterea credere debere, Petrum pastorem esse à*  
*Christo constitutum etiam super Apostolos, cum Christus in-*  
*definitè dicat: *Pasce oves meas;* & non definite has vel illas oves:*  
*Siautem consequentia illa firma est: qui fit, quod in pari cau-*  
*sam dispar ferat judicium? cur tantum aliqua, quæ ad officium*  
*Apostolicum administrandum pertinent, nempe doctrinam,*  
*tantum & sanctitatem, exprimit, & excludit potestatem & au-*  
*toritatem? Quæ vero ad officium illud eadem requiruntur ne-*  
*cessitate, atq; doctrina & sanctitas, (ut illa hic sumit Jesuita)*  
*quæ etiam vel minimo indicio ostendi & probari non possunt,*  
*quod ab Antonio omissæ vel exclusæ sint. Injustissimus judex*  
*est noster Jesuita, simulq; crassissimus Sophista, qui non subti-*  
*liorum more fraudes suas occultat, sed aperte ponit, ut à quo-*  
*vis videri, audiri, & palpari queant.*

**XV.** Ut ergo Jesuitæ argumentum Antonii adhuc  
rectius intelligent, denuo formandum est. Quos Christus ita  
misit, ut ipse missus est à Patre, & ad id omnibus necessariis  
donis ac bonis, ad missionem illam necessariis, proindeq; etiā  
potestate & autoritate pari instruxit, & Spiritum Sanctum do-  
ctorem, ductorem, & rectorem dedit, illis & quæ suam com-  
mendavit Ecclesiam, nec unus in alium accepit jurisdictionē:  
Sed Christus omnes hos Apostolos ita & quæ misit, & & quæ in-  
struxit. Ergo omnibus & quæ commendavit suam Ecclesiam.  
Jam tentet Beccanus, & experietur, quid iuæ possint exceptio-  
nes. Similia quoque adducta de Rege & Marco Antonio sive  
Episcopo sponte sua ruunt. Debebat enim Regem & subditos,  
Antonium & Subsellanum, conferre autoritate & potestate,  
aut autoritate, potestate & doctrina & sanctitate simul: non  
solum

solum doctrina & sanctitate. Quocirca non possumus non probare Dn. Doct. Meyfarti iudicium, his verbis scriptum: Si Marcus Antonius viveret, cogeretur cum Becano agere, ut cum tyrone, ejusdemq; auribus altum in clamare quæ sit argumenti prolati sententia.

XXVI. Quod tandem de Paulo colligit ex 2. ad Cor. 12, v. 4. dicete, se raptum in tertium cælum audivisse ἀρρητὰ πνεύματα, sequi inde, ipsum magis instructum doctrina Apostolica fuisse, quā reliquos Apostolos: eo magnus hic doctor turpem suam ignorantiam prodit, quod nihil in saeculis literis intelligat, & quid ἀρρητὰ verba sint plane ignoret. Non dicit Paulus (ut tu Jesuita absurdissime interpretaris) se raptum in Paradysum audivisse ejusmodi arcana verba, quæ nulli hominum revelare, vel referre debeat. sed ἀρρητὰ πνεύματα, id est, res tales, quales extra divinam revelationem nullius hominis intellectus completi, nec lingua effari queat: Itaq; se ipsum, qui ea viderit & audiverit fando satis explicare non posse. Hieronymus interpretatur: *Quæ impossibile est humanam enarrare naturam.* De impossibilitate igitur subsequentia verba sunt intelligenda, non de prohibitione. Si autem plane revelare arcana illa neque potuerit, neq; debuerit Paulus, tota autoritas jacet Apocalypses, quæ in papatu Pauli dicitur. Sed jaceat; falso enim esse illam hoc titulo notatam, vel unus hic locus ostendit: quia narrari non poterant, quæ Paulus ipse audiverat.

XXVII. Tandem notandum hic est, quod in suo commentario habet Chrysostomus: *Quare autem (quarit) raptus est? Ut mibi videtur, (respondet) ne haberetur alius Apostolis minor: quoniam illi simul fuerunt cum Christo, propter hoc in gloriam raptus est, hoc est, in Paradysum, nam loci illius nomen ubiq; noscitur.* Non igitur ex hoc loco colligit Chrysostomus Paulum maiorem ceteris Apostolis sed non minorem, proindeq; æqualem esse. Si ergo Apostolis omnibus per raptum hunc factus est æqualis: Ergo & ipsi Petro, nisi forsitan ipsum Jesuitæ ex Apostolorum numero eximere velint.

XXVIII. Ceterum confirmavit porro suam sententiam.

tiam Marcus Antonius autoritate Cypriani, qui in tractatu de simplicit. Prælatorum, sive de unitate Ecclesiae sic habet: Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, par consortio præditi & honoris & potestatis: sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur.

XXIX. Quæ verba tam clara & perspicua sunt, ut impossibile sit, illa ulla Sophismatum strophis obscurari. Quare licet Becanus omnes suæ versutiæ ac astutiæ nervos intendat, illaque obnubilare satagat, oleum tamen & operam perdit. Sic autem in manuali suo §.49. blaterat: Cypriamus idem docet de Petro, quod nos docemus: Primo, omnes Apostolos, antequam Petrus totius Ecclesiae Præfector constitueretur, per illa verba: Pasce oves meas, fuisse inter se æquales in honore & potestate. Secundo eundem Petrum, postquam Præfecturam Ecclesiae accepit, fuisse maiorem reliquis in honore & potestate. Cur autem Petrus constitutus sit Præfector seu Caput omnium, hanc reddit rationem, ut exordium ab unitate proficeretur, & Ecclesia una monstraretur. Vel clarius: ut hoc modo caverentur schismata, quæ facile oriri solent inter æquales; & servaretur pax & unitas in Ecclesia quæ facilius servatur, quando est unum caput, à quo omnes dependent. Hanc esse mentem Cypriani, satis fusè ex ipsis verbis ostendi lib.2. De republ. Ecclesiast. cap.2. §. 4. & seqq.

XXX. Verum enim vero, ut initium hujus refutationis sumamus ab illis, quæ habet & allegat Jesuita ex libro suo 2. de Repub. Christiana; tenendum est, ipsum unâ cum Pamelio (quem secutus videtur) errare in scopo & intentione Cypriani in hoc tractatu. Ita enim scribit Jacobus Pamelius in commentario: Occasione schismatis Novatiani, ut suos Carthaginenses deterreret, alioquin ab illo non multum abborrentes propter Novatiū, & alios quosdam suæ Ecclesiae Presbyteros, totius tragœdiae autores, librum hunc conscripsit Cyprianus. Atque imprimis postquam adversus illorum insidias communitos, ad constantiam hortatus est, heresēs causam esse do. et, quod caput Ecclesiae non queritur, primatus Petri contemnitur, & cathedra ac Ecclesia una & Episcopus unus deseritur. &c. Sic quoq; Becanus dicto lib.2.c.7.§. 6. alienam..

wien-



mentem Cypriano affingit, inquiens: Docet (Cyprianus) ideo  
multos per astutiam Diaboli fieri hereticos & schismaticos, quia  
non conjungunt se capiti & pastori Ecclesiae, à quo est origo veritatis,  
& relitto enim hoc capite necessarium esse, ut à veritate recedatur. Hoc  
eo fit, inquit, fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non redi-  
tur, nec caput queritur, nec Magistri cœlestis doctrina servatur.  
Tertio ait, se brevi compendio velle ostendere ex doctrina cœlestis Ma-  
gistri, quodnam sit hoc caput, à quo est origo veritatis. Nam ostendo  
ac retento hoc capite, non erit amplius periculum recedendi à verita-  
te. Ostendit autem ex verbis Christi, Petrum cum suis successoribus  
esse hoc caput. Quæ si quis consideret, inquit, & examinet tractatus  
longo atq; argumento opus non est. Probatio est ad fidem facilis com-  
pendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico, quia  
tu es Petrus, & super istam petram edificabo Ecclesiam meam, & por-  
ta inferorum non vincent eam. Tibi dabo claves regni cœlorum &c.  
Et eodem post resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas §.8. Mox  
obicit sibi ipsi in hunc modum: Christus omnibus Apostolis dedit &  
qualem potestatem: Ergo Petrus non est Caput Ecclesiae. Et respondet,  
dedisse quidem omnibus & qualem potestatem, sed postea ex omnibus  
& equali potestate prædictis, elegisse Petrum, ut esset Caput seu Monar-  
cha Ecclesie; ut hac ratione caverentur schismata, quæ facile oriri so-  
lent inter æquales; & servaretur pax & unitas in Ecclesia, quæ facilius  
servatur, quando est unum caput, à quo omnes dependent. Et quā-  
vis, inquit, Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem pote-  
statem tribuat, & dicat: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: Ac-  
cipite Spiritum Sanctum &c. tamen ut unitatem manifestaret, uni-  
tatis ejusdem originæ, ab uno incipienti, sua autoritate disposuit §.9.  
Hoc ipsum magis confirmat sequentibus verbis. Hoc erant utiq; & ce-  
teri Apostoli, quod fuit Petrus pari consortio prædicti, & honoris &  
potestatis; sed exordium ab unitate proficiuntur, ut Ecclesia unde  
monstretur. Quasi dicat: Omnes Apostoli ante electionem Capitis  
(qua facta est per illa verba; Pasce oves meas) erant quidem & quales;  
sed tamen Christus quia voluit exordium Ecclesiae sumere ab unitate  
capitis, & regimen Ecclesiae esse monarchicum, ex omnibus elegit Pe-  
trum, ut ipse esset Caput Ecclesiae. Nam si in Ecclesia non esset unum

C

Caput

**Caput, cui reliqua membra obtemperarent; non posset Ecclesiae corpus esse unum, sed membra sine capite inter se discederent ac distractarentur.**

**XXXI.** Notetur ergo, quod tractatus hic Cypriani inscribatur: *De unitate Ecclesiae*, sive (ut in aliis inscribitur) de simplicitate *Prælatorum*. Quibus inscriptionibus totius tractatus summa indigitatur: quod nihil agat seorsim de Episcopo vel Papa Romano, sed copiosè differat de omnibus Pastori-bus Ecclesiæ arctissimo veritatis & æqualitatis vinculo con-jungendis. Unde Augustinus contra *Cresconium Grammaticum lib. 2. cap. 33.* hunc librum vocat *Epistolam de unitate scriptā*. Hanc verò unitatem in *Prælatorum* sive *Pastorum* simplicitate seu unitate, societate & æquitate confistere, Cyprianus scrip-to hoc confirmat: idque hoc ordine. Primum à Novatiani schismate sumens occasionem, Pastores ad unitatem in Ecclesia conservandam gravissime hortandi, ingentia pericula, quæ inde Ecclesiam intus premunt, simulq; credentium officium proponit. Deinde novam illam Diaboli versutiam, nempe hæresium ac schismatum figmenta describit, & quidem illis ipsis verbis, quæ primo loco in allegato suo libro *Becanus* adduxit, nos verò adscribere noluimus; cum non multum ad rem facere videantur. Tertio fontem hæresium ac schisma-tum monstrat, nempe veritatis ac doctrinæ cœlestis, à Christo propositæ, unitatem in Ecclesia commendantis, contemtum. Atque hoc facit Cyprianus illis ipsis verbis, quæ *Becanus* se-cundo loco allegavit, & sua glossa ambigua obscurat. Si Je-suita per *Caput & Pastorem Ecclesiae* intelligeret Christum, tum interpretationem istam ultrò concederemus: verūm, quia per illa cum Jacobo Pamelio, Petrum & ejus successores, quos fin-gunt Pontifices Romanos, indigitat, illisq; hunc affingit sen-sum, causam schismatum & hæresium esse, quod homines se non conjugant cum Papa Romano, qui Petri successor est, atque sic cum capite & Magistro veritatis, istam interpreta-tionem, ut falsissimam, damnamus.

**XXXII.** Lœquitur enim Cyprianus de simpliciter primâ

primâ origine veritatis. Id quod non opus est; multis argumentis probare, cum verba sint satis clara & manifesta. Caput enim & Magistrum cœlestis doctrinæ conjungit, ita quidem ut caput sit Magister cœlestis doctrinæ, & Magister cœlestis doctrinæ sit caput: Et hæc simul sint idem cum origine veritatis. Loquitur ergo de illo capite, quod est origo veritatis; & de tali Magistro, qui simpliciter nullum alium Magistrum supra se agnoscit, sed qui est ipsa veritas & via. Job. 14. & sic ipsa origo veritatis. Quæ certè nulli hominum, sive sic Petrus sive Papa, sed soli Christo, possunt tribui.

XXXIII. Verus ergo allegatorum Cypriani verborum hic sensus est: Tantorum malorum fons est veritatis, à Christo, tanquam unico Ecclesiæ capite, & cœlestis veritatis Magistro, ab initio præscriptæ, ex qua Ecclesiæ unitas fluit, contemtus. Quo simul falsa Beca interpretatio demonstrata est.

XXXIV. Putat quidem, se posse suum figmentum demonstrare subsequentibus Cypriani verbis, tertio loco allegatis. Sed noli credere lector: Nugas vendit Beca. Nam semper in conspectu, & memoria habeamus scopum Cypriani, nempe quod de Lunitate adversus schismaticos questione tractet. Hujus unitatis porrò ratio, verbis, tertio loco à Beca citatis, non in Pontifice Romano, vel etiam Romana Ecclesia, sed in omnibus Apostolis, in quibus Christus Novi Testamenti Ecclesiam inchoaverat, demonstratur: proindeq; falsissimum est, & contra mentem & scopum Cypriani, quod Beca dicit, ipsum ostendere ex verbis Christi, Petrum cum suis successoribus esse hoc caput.

XXXV. Primum enim demonstravimus, per caput, quod dicit Cyprianus in præcedentibus, non intelligi posse Petrum vel Papam, sed ipsum Magistrum veritatis, nempe Christum, ut etiam id ex sequentibus magis magisque patescet. Deinde ne unicà quidem literā successorum Petri fecit mentionem, neque ullo indicio probari potest, verba isthac Cypriani ad Petri successores extendenda esse. Tertio, fal-

C 2 sum

sum est, quod verbis hisce Cyprianus demonstrare velit caput, à quo est origo veritatis; quandoquidem illud ex præcedentibus est satis notum. De unitate hic & concordia quaestio est, illam amitti docet, si non ad veritatis originem redeatur. Quocirca ad illam veritatis originem & primam unitatis institutionem suos Carthaginenses Episcopos & Presbyteros adducere voluit.

XXXVI. Id autem facile fieri posse, ait, nec opus esse longo tractatu aut argumentio, cum probatio & ostensio illa sit facilis illis, qui fideles suut, & veram fidem habent; ideoque illis id veritatis compendio fieri possit, desumpte à veritatis Magistro, nempè Christo, qui illam in primâ Ministerii institutione evidenti signo una docere & inculcare voluerio; quando uni Petro claves dedit, ut nimurum una Ecclesia & unus Episcopatus monstraretur.

XXXVII. Et nihil refert, concedamus, Cypriatum allegatis testimoniis, quorum luculentas expositiones in præcedentibus dedimus, unitatis originem ad Petrum referre. Quid verò illud ad Pontificem Romanum? Omnidò inquis: quia Petri successor est. Incertuò hoc; imo falsum. Sed ponamus verum esse. Interim non statim quæ antecessori, tanquam principio, competit, tribuenda sunt secundo, & ceteris successoribus tanquam principiatis. Certè quod Petrus sit unitatis origo, id Petro competit ut principio, ut primo, in quo unitas illa inchoata fuit. Quod autem primo ut primo convenit, & sic soli primo, id sanè secundo & successoribus competere nequit. Nisi ex primo non primum, & ex secundo successoribusq; non secundum non successores simul contradictione facere velis.

XXXVIII. Hæc etiam vera & unica causa est, quod Cyprianus, ut diximus, hoc loco, unitatis Ecclesiæ originem ad Petrum referat, non verò ad ejus successorem, de quo toto hoc de Unitate libello negat quidem. Hoc ergo docere voluit, Christum unam in Ecclesia Cathedram constituisse, Episcoporum sive Pastorum sanctâ unitate & concordia constarem: proindeque addit, hujus rei argumentum esse, quod Chri-

Christus uni Petro dixerit , super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & pasce oves meas: Et sic intellexit Cyprianus, Christum in uno Petro reliquos Apostolos omnes compellasse, ut eos, imo omnes Ecclesiæ Pastores ad sanctam unitatem & concordiam cohortaretur.

XXXIX. Atque hoc est, quod dicit idem Pater verbis à Becano §.8. allegatis: proindeq; falsum est, quod singit Jesuita, Cyprianum sibi objicere hunc in modum: *Christus omnibus Apostolis dedit æqualem potestatem: Ergo Petrus non est caput Ecclesiæ.* Falsum est, inquam. Hoc sibi non objicit. Nam non quæstio hic est, an Petrus sit caput Ecclesiæ, sed quomodo unitatem Apostolorum Christus in vocatione Petri complexus fuerit, & quomodo eadem à Petro initium sumserit.

XL. Ut autem objectio ista purum putum figmentum cerebri Jesuitici est, sic quoque responsio illa non Cypriani, sed Becani est. Ubi enim leguntur hæc verba; vel saltem sensus ostenditur in allegata sententia Cypriani, quod quidem Christus omnibus æqualem potestatem dederit, sed postea ex omnibus, æquali potestate præditis, elegerit Petrum, ut esset caput seu Monarcha: atque hoc ita factum esse, ut caverentur schismata, quæ facile oriri solent inter æquales? Hanc dextram dabo Becano & Jesuitis, si ex verbis Cypriani, per bonam consequentiam hanc demonstraverint conclusionem: *Ergo postea ex omnibus æquali potestate præditis, elegit Petrum, ut esset caput & Monarcha Apostolorum.* Quod tam fricile ipsis erit, ac mihi cœlum digito tangere, vel ex nihilo aliquid facere.

XL I. Sanè æqualitatem potestatis inter Apostolos simpliciter asserit Cyprianus, indicans, quod, licet Christus post ascensionem Apostolis parem potestatem tribuerit, tamen etiam in æqualitate illa unitatem simul manifestare voluerit, quando sua autoritate ejusdem unitatis originem, quæ ab uno inciperet, disposuerit. Nihil hic de Monarchia & imperio: sed de tali unitate agit Cyprianus, quæ quidem per Christi autoritatem & dispositionem habet ordinem ab uno, sed ita ab uno, ut tamen potestatis paritas nequaquam sublata sit, sed sarta testa manserit.

**XLI.** Atque hoc est (non Becani somnia) quod confirmat Cyprianus, sequentibus verbis §. 9. à Jesuita allatis, & à Marco Antonio pro se allegatis: *Hoc erant utique & ceteri Apostoli, quod fuit Petrus pari consortio praediti & honoris, & potestatis, sed exordium ab uitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur.*

**XLII.** Quæ sane accuratè cohærent cum præcedentibus. Quare sensus alius illorum haud quaqueam est, quam quod indicare ac dicere vult Cyprianus, ratione autoritatis, siue honoris ac potestatis inter Petrum & Apostolos cæteros, nullum factum esse discrimen: neque Petrum cæteris in illo prælatum: cum Christus singulariter cum ipso egit, nimis non ut illum quoad honorem & potestatem cæteris præferret, & sic Monarchiam constitueret: sed tantum voluit, ut exordium ab uno proficeretur, quo Ecclesia una monstraretur.

**XLIV.** Hæc tam clara sunt, ut, qui non videat aut intelligat, illum totum cœcum, & magis sine intellectu esse oporteat, quam bruta & irrationalia pecora. Manifesta simul horum Cypriani verborum depravatio est glossa à Becano subiecta. Monstret Jesuita levissimo indicio, innuere Cyprianum hanc distinctionem, qua distinguitur inter Apostolos, ante Electionem capit is consideratos, & post illam capit is Electionem. Non potest nugæ Jesuiticæ sunt, ne minimo verbulo vel syllaba hic sit mentio electionis capit is vel Monarchæ: imò neque in toto hoc tractatu. Probetur per illud *Pascere oves* Petrum fuisse Monarcham constitutum, probetur illud somniasse unquam Cyprianum, & in hoc tractatu scripsisse: Probetur innuere Cyprianum ullo indicio, Apostolos fuisse æquales, antequam Christus Petro dixerit, *Pascere oves meas: à tempore vero isto fuisse inæquales, factosque Petri subditos.* Hæc à puero octenni judicari possunt.

**XLV.** Ut enim in verbis, à Becano §. 7. allegatis Cyprianus dicit, *Christus eidem (Petro) post resurrectionem suam dicit: Pascere oves meas: sic in verbis sequenti §. allegatis, scribit idem Cyprianus, Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potesta-*

potestate tribuit, & dicit: Sicut me misit Pater, sic ego mitto vos &c.  
Et post pauca: Apostolus Paulus hoc idem docet, & Sacramentum  
unitatis ostendit, dicens: Unum corpus & unus spiritus, una spes voca-  
tionis vestrae, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus.  
Quare unitatem firmiter tenere, & vindicare debemus, maxime Epi-  
scopi, qui in Ecclesia praesidemus, ut Episcopatum quoque ipsum uni-  
cum atque indivisibilem probemus. Nemo fraternitatem menda-  
cio fallat, nemo fidei veritatem perfida permutatione corrumpat.  
Episcopatus unus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur.  
Legatur totus tractatus, & multa quidem iuuentur de vin-  
culo concordia, & unitatis: sed ne syllaba, ne litera quidem de  
Monarchia & potestate Petri super alios Apostolos.

XLVI. Quod attinet rationem, ob quam sibi imagi-  
natur, Petrum necessariò constituendum fuisse caput Eccle-  
siae, dudum à nobis monstrata fuit jejuna, frivola, nulla. Licet  
enim neque Petrus neque Papa Romanus constitueretur ca-  
put Ecclesiae; non tamen propterea est corpus sine capite: cum  
ejus caput sit Christus, sedens ad dextram Dei, & potestatem  
habens super omnia, quae sunt in cœlo & in terra. Hic Rex &  
caput nostrum omnium, potenter per verbum & Sacra menta  
sibi Ecclesiam colligit, regit, conservat & defendit, contra o-  
mnes inferorum portas, crudelesque Tyrannorum machi-  
nationes.

XLVII. Deinde adducit Marcus Antonius locum ex  
Hieronymo, qui extat lib. 1. contra Jovinianum tom. 2. mihi  
pag. 35. A. & integer legitur, ut à Becano citatus est, lib. 2. de Re-  
pub. Eccles. §. 12. cap. 7. hoc modo. Si autem obnoxie contenderit  
( Jovinianus ) Joannem virginem non fuisse, & nos amoris præcipui  
causam virginitatem diximus; exponat ille, si virgo non fuit, cur ceteri  
Apostoli plus amatus sit? At dicas: super Petrum fundatur Eccle-  
sia: licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti cla-  
ves regni cœlorum accipient, & ex æquo super eos Ecclesie fortitudo  
solidetur: tamen propterea inter duodecim unus elitur, ut capite in-  
stituto, schismatis tollatur occasio. Sed cur non Johannes electus est  
virgo? Ætati delatum est, quia Petrus senior erat; ne adhuc adole-  
scens,

scens, ac penè puer, progressæ etatis hominibus præferretur: Et magister bonus, qui occasionem iurgii debuerat auferre discipulis, Et qui dixerat eis; pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis: Et, qui voluerit inter vos major esse, rānimis omnium sit: in adolescentem, quem dilexerat, causam præbere videretur invidiae.

**XLVIII.** Ubi sciendum, quæ hic contra Antonium disputat Becanus, nihil ad nos: tantum analysis hotum verborum, quam Becanus instituit §. 18. observetur: Sed non necesse est, inquit, ad has angustias configere. ( Probaverat enim Becanus, suo quidem judicio, Hieronymum & Marcō Antonio, & sibi Becano contrarium esse. ) Nego Hieronymum robis contrarium esse, nisi sibi ipsi contrarius sit. Quod ostendo ex ipsi disceptatione, quam habet cum Joviniano; in hunc modum Hieronymus; Johannes plus fuit amatus à Christo propter virginitatem quam Petrus, qui non erat virgo. Virginitas igitur præstat matrimonio. Jovinianus. Nego Johannem fuisse virginem. Hieronymus. Si virgo non fuit, cur plus amatus fuit, quam alius? Jovinianus. Petrus plus fuit amatus, quia super Petrum fundata est Ecclesia. Hieronymus. Si species doctrinæ Apostolorum, super omnes æquè fundata est Ecclesia, quia una est doctrina omnium. Si species jurisdictionem fateor Petrum præceteris electum esse, ut esset caput Ecclesie. At hinc non sequitur, plus dilectum fuisse à Christo, quia jurisdictione non necessariò supponit majorem sanctitatem. Jovinianus. Cur non potius Johannes fuit electus, si erat virgo, ut tu contendis? Hieronymus. Propter defectum etatis. Erae enim adhuc adolescens ac penè puer. Non decebat autem, ut puer, cum potestate præficeretur senioribus. Si hic est discursus Hieronymi cum Joviniano; ut esse verisimile est, nihil ex eo prædicti habes; præter confusionem. Si aliud est, cur dissimulas?

**XLIX.** Respondemus figmentum esse Jesuitæ, mentem Hieronymi hanc esse: si species doctrinæ Apostolorum, super omnes æquè fundatam esse Ecclesiam, quia una doctrina est omnium. Si species jurisdictionem, Petrum præceteris electum esse, ut esset caput Ecclesie. Negamus, inquam, hanc esse mentem Hieronymi. Istius enim distinctionis ne levissimum quidem indicium in allegatis verbis habetur. Imo potius contrarium expressum.

expressè dicitur, nempe quod licet in uno loco Ecclesia dicatur fundata super Petrum; in alio verò loco idem dicitur de cæteris Apostolis omnibus. Sit igitur ita; loquantur illa verba de doctrina; non tamen de sola; siquidem includant quoq; potestatem Ecclesiasticam & qualem omnibus datam. Id quod significanter docent verba immediatè juncta: *& cuncti claves Regni cœlorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo consolidetur.* Satis clara sunt verba hæc disertè docentia, Ecclesiæ non magis esse fundata in super Petrum quam cæteros Apostolos: non solum Petrum, sed etiam omnes Apostolos claves Regni cœlorum accepisse: tandemque non tantum super Petrum, sed super omnes, & quidem ex æquo, Ecclesiæ fortitudinem consolidari. Ex quibus apodicticè infertur, Hieronymi sententiam esse, Apostolos & doctrina & potestate Ecclesiastica æquales fuisse: proindeq; nullam Petro præ cæteris Jurisdictionem & Monarchiam datam esse.

L. Inquis: Urgere Beccanum vocem *Caput*, qua hic utitur Hieronymus? Sed in qua lingua *Caput* est idem quod *Monarcha*? demonstravimus in præcedente disputatione, quod vox illa sit æquivoca, &c, ut apud alios, etiam prophanos autores, *Caput* variè usurpat, sic etiam non ubique accipiatur eodem modo apud Patres: adduximus dicta, in quibus Elias dicitur *caput Prophetarum*: *Cyrillus caput Episcoporum*: cum tamen neque hic Episcoporum, neque ille Prophetarum Monarcha fuerit. Concessimus igitur, & adhuc concedimus Petrum dici à Patribus *caput*, *Principem quoque Apostolorum*: à nullo verò Monarcham vel Dominum, qui supremam Jurisdictionem haberet in Ecclesia. Hoc ergo indicat Hieronymus, quod Cyprianus, voluisse Christum inter illos æquales ordinem esse: Ubi autem ordo est inter multos, ibi oportet unus sit primus: Primus autem, ordinis *caput* est. Sic ergo & nullo alio modo aut respectu dicitur ab Hieronymo Petrus *caput* inter duodecim electus, idque propterea quod fuerat senior.

LI. Inter duodecim, inquam, dicit Hieronymus unum

D

nem.

nempē Petrum electum esse. Quare manifesta est verborum Hieronymi perversio, quando Beccanus nugatur, Hieronymū assertere, solum Petrum ex duodecim Apostolis electum esse, ut esset caput Ecclesiæ; Nugæ sunt, inquam, neque verba, neque sententia est Hieronymi: quippe qui duplē instituit collationem: primum Apostolorum & Ecclesiæ: deinde Apostolorum inter se! In prima collatione & consideratione; nempē in qua Apostolicum Ecclesia conseruntur, Hieronymus omnes æquales facit: primum enim dicit, ut uno in loco Ecclesia fundatur super Petrum: sic alio loco id fieri super omnes Apostolos: Ergo in ratione illa, quod sint fundamentum Ecclesiæ, omnes facit æquales. 2. addit omnes accepisse claves Regni cœlorum, quibus nempē gubernatur Ecclesia. 3. concludit super eos ex AEQ U O Ecclesiæ fortitudinem solidari. In quibus omnia continentur, quæ possunt tribui primo, medio & ultimo Apostolorum, ratione Ecclesiæ: Ideoq; si caput aliquid inde concludendum est Ecclesiæ, non erit illud Monarchicum, sed Aristocraticum.

LII. Dehinc pergit Hieronymus ad alteram collationem, qua Apostolos inter se consert, & docet cum Apostoli fuerint duodecim, inter illos ordinem aliquem esse voluisse Dominum, ideoque Petrum caput electum esse Apostolorum. Apostolorum, inquam, non Ecclesiæ universæ, ita ut in voce Ecclesiæ includantur cæteri Apostoli. Id enim pugnat contra satis claram cōexionem verborum Hieronymi: Quorum sensus est: licet alio in loco æquè super reliquos omnes, atque super Petrum fundetur Ecclesia; & cuncti claves cœlorum accipiāt &c. Et sic (vult dicere,) respectu totius Ecclesiæ, nulla inter ipsos sit prærogativa, nulla inæqualitas, vel ordinis vel potestatis ratione: tamen (pergit) propterea inter duodecim (non in Ecclesia) unus eligitur, ut capite constituto schismata vitentur. Ideoq; capit is hæc constitutio nihil ad Ecclesiam pertinet, neq; ullum ad ipsam respectum habet, sed tantum ad collegium duodecim Apostolorum spectat: ut in illo quoq; sit ordo, cum multa sine ordine confusa & indecora sint.

53. Quod



LIII. Quod attinet ad additam rationem, ut schisma-  
tum collatur occasio, illa, licet ab Hieronymo data sit, non ma-  
gni momenti esse videtur. Qui enim potuerunt schismata o-  
riri, & falsæ doctrinæ proponi ab iis, qui immediate regeban-  
tur à Spiritu Sancto? Tacco, quod si deullo aliquo Apostolo  
schismata metuenda fuissent, certè de ipso Petro fuissent: pro-  
indeque is præ omnibus aliis capite opus habuisset. Cum nul-  
lus ita reprehensus fuerit, ut hunc Paulus reprehendit. Hoc er-  
go erratum Petri aut prævidit Christus, quando propter im-  
pedienda vel amovenda schismata ipsum præfecit Monar-  
cham: aut non prævidit. Hoc absurdum est. Quomodo enim  
is, qui omniscius est, erratum illud Petri non prævidisset? Si au-  
tem prævidit, non mihi persuaderi patior, Petrum ob causam,  
ab Hieronymo allegatam, Caput Apostolorum à Christo con-  
stitutum fuisse: Sed id factum esse, aut ob senioratum, aut ob  
zelum, aut similem ob causam; ut in præcedente disputatione  
pluribus ostendimus. Sed suggererem Becano responsionem  
ad imitationem ipsius distinctionis, qua distinxit inter Pe-  
trum, nondum à Christo Monarcham electum per verba hæc:  
*Pasce oves meas*: & inter Petrum, postquam à Christo electus  
fuerit, dixitque illum fuisse æqualem ceteris Apostolis; hunc  
verò longè majorem, nempè ipsorum Monarcham; Sic distin-  
guere hoc loco posset Becanus, inter Petrum versantem inter  
Apostolos antevocationem Pauli, & inter Petrum post vo-  
cationem Pauli: diceretque illum fuisse Monarcham; hunc ve-  
rò non, sed vocato Paulo majestatem suam deposuisse, & in i-  
psiis locum Paulum successisse. Sic se defendere quidem hac  
vice contra nos Becanus posset: modo non periclitaretur ca-  
thedra Petri Romana, & in ea successio Pontificum: Pro sua  
verò sophistica Jesuitæ facile fingere poterunt, novam quan-  
dam distinctiunculam sive veram sive falsam: & sic se & ca-  
thedram defendere.

LIV. Pergit Becanus §. 19. Sed iterum objicis alia Hiero-  
nymi verba contra eundem Jovinianū: Johannes inquit, & Jacobus  
quia plus ceteris petierunt, non impetraverunt; Et tamen non est di-

D 2 gnitas



gnitas eorum imminuta, quia reliquis Apostolis aequales fuerunt. Respondeo. Hoc contigit ante electionem capitis. Tunc omnes Apostoli erant aequales. At postquam dictum est Petro; Pasce oves meas, desierunt esse aequales, & Petrus cœpit esse Princeps aliorum ac universalis Ecclesiæ Pastor.

L V. Hic vetus iste coccyamus est: quem ad nauseam repetitum hactenus audivimus: supra autem sufficienter refutavimus, ut non opus sit repetitione. Hoc tantum notetur; Hieronymum non loqui de Johanne & Jacobo, in quo statu fuerint ante illud tempus, quo Christus Petro dixerit, Pasce oves meas: sed simpliciter de officio Apostolatus, quod a quæ habuerunt post, quam ante illud tempus; & de illo, & respectu illius affirmare, quod reliquis Apostolis fuerint aequales. Quare tantum Jesuitis nugis nititur illa distinctio, & tota responsio.

L VI. Quod attinet tertium locum, desumptum ex iug. Epist. Hieronymi ad Damasum Pontificem, & additam Beccani responsionem, qua urget, quod Hieronymus Damasum agnoscat Petri successorem, Pastorem, & se ejus ovem &cæt. Concedimus libenter, quod eo tempore Episcopus Romanus in magna fuit autoritate, quod etiam Hieronymus consuluit eum de quæstione in Syria agitata; An salva fide concedi posset, tres esse in Deo hypostases? Verum quod eo ipso demonstravit Hieronymus, Episcopum Romanum esse judicem controversiarum, vel etiam esse universalem Pastorem; id nulla consequentia probabitur. Nam non statim qui aliquem Doctorem vel Episcopum de quadam quæstione controversa consuluit, illum pro judice infallibili omnium controversiarum habet: & qui modestiæ causa alicujus se dicit discipulum vel ovem, & illum Praceptoris & Pastoris sui titulo honorat, is statim illum facit universalem Praceptorem, vel totius Ecclesiæ Pastorem.

L VII. Multo minus inde poterit concludi, Pontificem Romanum esse Monarcham. Sic enim esset concludendum: Qui ab aliquo consulitur, ille est Monarcha: Papa Damasus ab

sus ab Hieronymo consuliuntur: Ergo Papa Damasus est Monarcha. Ridiculum sane argumentum. Consultatio non est causa Monarchiae, sed signum prudentiae. Non enim quia Damasus Monarcha erat, sed quia prudens habebatur, consulabatur. Rursus: Hieronymus est ovis, Pastor Damasus: Ergo Damasus est Monarcha. Nugae. Rursus: Damasus est Petri successor: Ergo est Monarcha. Nugae. Profecto Hieronymus disertè contrarium docet ad Evagrium: *Ubiunque, inquiens, fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Regii, sive Alexandriæ, sive Tanisi, ejusdem meriti est, & ejusdem Sacerdotii.* Sic argumentor: Quicunq; sunt ejusdem meriti & ejusdem sacerdotii, illi ratione officii sunt æquales: Sed omnes Episcopi juxta Hieronymum sunt ejusdem meriti, & ejusdem sacerdotii: Ergo omnes Episcopi juxta Hieronymum sunt æquales.

L VIII. Bellarminus, concessa majore, respondet ad minorem, hoc intelligi debere respectu ordinis, non jurisdictionis. Et addit rationem. *Quia aliqui Episcopi habent ditinrem majorem, alii minorem.* Alexandrinus enim habet tres magnas provincias, Tanensis verò tantum unam urbeculam. Quod miror homini docto excidisse. Disertè enim addit Hieronymus: *Potentia divitiarum & paupertatis humilitas sublimiorem vel inferiorem Episcopum non facit.* Deinde ad Nepotianum scribit: *Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archiepiscopi, singuli Archidiaconi, & omnis ordo Ecclesiasticus suis rectoribus nititur.* Unde sic argumentor: Qui nituntur rectoribus, non nituntur uno rectore: sed omnes Ecclesiastici ordines suis nituntur rectoribus: Ergo non nituntur uno. Et licet respondeatur omnes ordines nisi quidem suis rectoribus, sed præter eos & nisi Papa Romanus, nihil efficitur. Petitur enim principium. Nos enim negamus omnem ordinem nisi Papa.

L IX. Pergit Becanus §. 21. *Tertio loco adducis Augustinum lib. de agone Christiano cap. 30. ubi ait: Non enim sine causa inter Apostolos omnes, bujus Ecclesie Catholice personam sustinet Petrus.* Huius enim Ecclesie claves regni caelorum datae sunt, cum Petro

data sunt. Et cum ei dicitur, ad omnes dicitur: *Pasce oves meas.* Ex hoc & similibus Augustini testimonitis colligis, quae Petro committuntur, non illi soli, sed omnibus committi; ideoque omnes aequales esse. Respondeo. Hoc potius collige: Cum solus Petrus sustineat personam Ecclesiae Catholicae, non item reliqui Apostoli, (quia de reliquis hoc nunquam affirmat Augustinus) Petrum hoc nomine reliquis Apostolis preferendum esse; ac proinde ex hac parte, non omnes esse Petro aequales.

L X. Hoc colligere nequaquam debuit Antonius: pugnat enim contra clarum ac manifestum sensum verborum Augustini: quippe qui non propterea dicit Petrum sustinuisse personam Catholicæ Ecclesiæ; ut ex Petro Monarcham, & ceteros Apostolos ipsi in aequales ficeret: sed potius ut hos omnes illi aequales esse significaret; nempe indicaret, licet Petro claves Ecclesiæ datae fuerint; licet quoque ad ipsum dictum, *Pasce oves meas:* illas tamen, cum Petro darentur, omnibus datas, &c, cum hoc ad Petrum diceretur, ad omnes dictum esse: atque sic ratione & clavium & pasturarum, (in quibus totam Monarchiam Petri fundatam esse contendit Becanus) Petrum ceteris Apostolis nequaquam prælatum: sed omnes in hoc officio aequales factos esse.

L XI. Alias Jesuita ignorare non potest, quod Patres Africani statuant, nullum Episcopum vocandum esse Principem Sacerdotum aut summum Sacerdotem: *Concil. Carthag.* 3. *Can. 26.* & *Hippon. Can. 27.* In utroque fuit Augustinus. Licet igitur in *Epist. 162.* scribat: *In Romana Ecclesia semper Apostolica cathedralè viguit Principatus:* non tamen potest per principatum intelligere Monarchiam universæ Ecclesiæ, ut fingunt Jesuitæ: Alias enim sibi contradiceret. Imò in eadem *Epist.* addit, se *Romanæ Ecclesiæ & ceteris terris per Communicatorias literas esse conjunctum.* Unde apparet Papam Romanum Augustino non magis, quam quemlibet Episcopum esse Monarcham. Nam non tantum Papæ, sed ceteris quoque terris conjunctus erat: neque Papam in ipsum habuisse Monarchicum imperium: Nam non erat ei junctus per imperium, sed per communicatorias literas.

62. Atq;

JJ



LXII. Atque hoc verissimum esse ex eadem Epist. ad oculum demonstrari potest. Scribitur enim in illa ipsa; Donatistas petiisse judicem in causa Majorini ab Imperatore. At si Papa fuisset Monarcha, non ab Imperatore, sed a Papa judicem petiissent. 2. Imperatorem dedisse eis Judices. Si vero Imperator Papam habuisset pro Monarcha, respondisset, non sui officii, sed Papæ esse Episcopos, immo omnes homines, judicare. 3. Imperatorem dedisse judices quosdam, & inter eos ipsum Papam Romanum. At vero si solus Papa fuisset omnium hominum judex, non passus fuisset sibi collegas adjungi, neque ullo modo concessisset, se Imperatoria indulgentia ad id eligi, quod sibi iure competit. 4. ab hoc judicio Papæ provocasse Donatistas ad Imperatorem, & alios judices postulasse: Imperatorem quoque accepisse appellationem, & alios judices dedisse, qui post Papam judicarent. Verum si Papa fuisset supremus judex, non potuisset ab eo provocari, neque ipsius judicium ab alio judicari.

LXIII. Quid? quod Donatistæ tandem ad ipsum Imperatorem provocarunt. Atque si tum Papa fuisset supra Imperatorem, non passus esset a se ad Imperatorem provocari, neque tulisset, ut Imperator post se judicasset. Et quod omnium gravissimum est, si Papa tum habuisset primatum Jurisdictionis in universa Ecclesia, & potuisset idem in terra, quod Christus in cœlo, potuisset sua vi & maiestate Donatistas ad obedientiam cogere: immo ipsum quoque Imperatorem potuisset coercere, ne post se judicaret. Et si Episcopo Areutensi, & aliis tum constitisset, Papam non posse errare, cum debere omnes homines judicare, neque posse a quoquam judicari, ejusque voluntatem esse pro ratione, non ausi fuissent post Papam judicare. Qui in tanta luce veritatem non videat, eum planè oportet esse obcœcatum & obduratum.

LXIV. Ultimò adducit Marcus Antonius aliquos Patres, qui asserunt, Paulum fuisse æqualem Petro. Inter quos Chrysostomus in cap. i. Epist. ad Galat. sic scribit: *Quid hoc animo possit esse modestius? post tanta taliaque beneficia, cum nihil*  
*opus*

opus haberet Petro, nec illi us egeret voce, sed honore par esset illi, (nihil enim hic dicam amplius) tamen ascendit, velut ad majorem & seniorem. Et Ambrosias lib. 2. de Spiritu Sancto: Una gratia fulgebat in his, quos Spiritus unus elegerat. Nec Paulus inferior Petro. Et Leo Serm. I. de Natali Petri & Pauli: Quos gratia Dei in tantum apicera inter omnia Ecclesiae membra provexit, ut eos in corpore, cuius Caput est Christus, quasi geminum constitueret Innen oculorum. De quorum meritis atque virtutibus, quae omnem loquendi superant facultatem, nihil diversum, nihil debemus sentire discretum, quia illos & electio pares, & labor similes, & finis facit aequales.

LXV. Respondet Becanus §. 26. Quod supra dicti Patres nihil contra nos habeant, facile ostendam. Nam duplex potest institui comparatio inter Petrum & Paulum. Una, quo ad sapientiam, sanctitatem, laborem, zelum & honorem, qui ex illis consequitur. & sic Paulus potuit esse par Petro. Quod manifestè significat Leo, cum ait: De quorum meritis atq; virtutibus nihil debemus sentire discretum. Altera quo ad jurisdictionem. Et sic Petrus major erat Paulo, ut sapè ostensum est.

LXVI. Mentiris Cain. Tantum enim abest, ut sapientius ostensum sit, ut ne semel quidem ostendi potuerit, quo ad jurisdictionem Petrum Paulo majorem fuisse.

LXVII. Deinde concedere quidem possemus, quod duplicitate isto modo comparatio inter Petrum & Paulum institui posset, si modo verum esset, quod de jurisdictione Petri fabulantur Pontificii. Prius ergo deberent veris, immotis ac cogentibus argumentis, (uti decet in ejusmodi rebus arduis & maximi momenti) jurisdictionem illam Petri nobis demonstrare, & certam facere, atque tum collationem quo ad jurisdictionem inter Petrum & Paulum instituere: Quamdiu autem hoc factum non est, tam diu est illa non Ens; cuius aequae sunt actiones, neque passiones, ac proinde circa illam nullæ collationes: tam diu manet certum & firmum, allegatos Patres satis claris, perspicuis ac manifestis verbis in omnibus Petrum & Paulum facere aequales.

LXVIII. Tertio utitur Leo voce meriti, ut recte monet Be-

net Becanus. Etiam si autem vocabulum illud medium sit,  
quod tam in meliorem quam deteriorem partem accipiatur;  
nullum tamen dubium est, id hoc loco in bonam partem ac-  
cipi: tum verò idem ferè est, quod beneficium; item; benefi-  
ctum; bonum, imò preciosum opus, remuneratione digne  
dignum. Ponamus igitur quandam jurisdictionem Petro da-  
tam fuisse. Verum dic sodes, quid est verum jurisdictionis ex-  
ercitium. Profectò maximum est beneficium & optimum, &  
preciosissimum opus, larga retributione dignissimum. Unde  
sic argumentor: De quorum magnis beneficiis in Ecclesiam ex-  
qualiter collatis & preciosis operibus omni retributione di-  
gnis, nihil diversum, nihil debemus sentire discretum, de illo-  
rum quoq; jurisdictione (si quam habent in Ecclesia) ejusque  
exercitio nihil diversum, nihilq; discretum sentire debemus:  
Atqui juxta Leonem de Petri & Pauli magnis beneficiis, in Ec-  
clesiam collatis, & preciosis operibus, omni retributione di-  
gnis, nihil diversum, nihilq; discretum sentire debemus: Ergo  
quoq; de Petri & Pauli jurisdictione, si quam habuerunt in  
Ecclesia, ejusq; exercitio nihil diversum, nihilq; discretum ju-  
dicare debemus. Majore est certa per jam datam rationē. Quod  
jurisdictio & ejus verum exercitium, sit beneficium, sit opus o-  
ptimum &c. Minor quoq; ex dictis patet: cum meritum, in bo-  
nam partem sumtum, sit opus optimum, beneficium omni re-  
muneratione dignum. Ergo quoque certa & vera est conclu-  
sio: manifestaq; hujus sententiae apud Becanum depravatio,  
quā sucum nobis facere satagit. Quandoquidem hoc, quod  
nos concludimus, manifestè significat Leo, non somnium  
Jesuitæ.

L X I X . Quartò satis clara quoq; sunt verba Chryso-  
stomi: ex quibus ita argumentamur: Qui Apostolus maximis  
beneficiis affecit Ecclesiam, sine Petro vel viso vel auditio mul-  
tas nationes convertit ad Evangelium, & tantas res in Ecclesia  
gessit, quantas ceterorum nemo, & sic quantas nec Petrus ges-  
serat, & ad id nihil opus habuit Petro, neque eguit illius voce,  
sed honore par fuit illi, in istum nullam Petrus habuit jurisdi-

ctio-



etionem: Sed Apostolus Paulus, juxta Chrysostomum maximis beneficiis affecit Ecclesiam, multas nationes convertit ad Evangelium &c. Ergo in Apostolum Paulum Petrus nullam habuit jurisdictionem. Major est manifestae veritatis: Qui enim sine Petro maximis beneficiis afficit Ecclesiam, multas nationes convertit, imo qui Petro par est honore: in illum certe nulla locum habet jurisdictione. Minor partim ex allegato dicto liquet, partim ex illis, quae paulo post subjicit Chrysostomus: Sic enim nunc multi fratrum nostrorum ad viros sanctos proficiscuntur eodem affectu, quo tunc Paulus ad Petru profectus est; quipotius erat hoc multo submissius, quod fecit Paulus. Nam isti nunc utilitatis sua gratia suscipiunt peregrinationes; at tu beatus ille, non ut disceret aliquid ab illo, neque ut correctionem aliquam acciperet, profectus est, sed tantum ut videret eum &c. Et mox proficisciens enim Hierosolymam, cum jam multas nationes convertisset ad Evangelium, tantasque res gerisset, quantas ceterorum nemo gesserat, Pamphyliam, Lycaoniam, Cilicum gentem, omnes qui illam orbis partem habitant, ad rectam vitam instituisset, Christogloria lucrificisset, primum quidem ingreditur ad Jacobum, velut ad majorem & honoratiorem.

L X X . Sanè si tantum hoc unicum esset in verbis Chrysostomi, Paulum Petro fuisse parem honore, sufficeret. Qui enim alterius jurisdictioni est subjectus, is illi, cui est subjectus, honore par non est: At Paulus honore par est Petro: Ergo Petri jurisdictioni subjectus non est. Tantum ergo Petrum tanquam seniorem visitare voluit. Sed inquis; addi etiam tanquam majorem: Si inde jurisdictione aliqua colligenda: tum quoque Jacobus habuit jurisdictionem in Paulum: Nam testatur de eodem Chrysostomus, quod ingressus quoque sic ad Jacobum plurimum modestia, velut ad majorem & honoratiorem. Eodem modo ex Ambrosii verbis firmiter concluditur: Qui Petro non est inferior, ille Petri jurisdictioni non est subjectus: Paulus juxta Ambrosium Petro non fuit inferior: Ergo Paulus juxta

Ambrosium Petri jurisdictioni non fuit subjectus.

S O L I D E O G L O R I A .



1000  
1000  
1000  
1000  
1000  
1000  
1000  
1000  
1000  
1000

1000

1000  
1000  
1000  
1000  
1000  
1000  
1000  
1000  
1000  
1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

99 A 6900

ULB Halle  
002 622 092

3



SB

Retro

VDT7






# FarbKarte #13

B.I.G.

Blue	Black
Cyan	
Green	
Yellow	
Red	
Magenta	
White	
3/Color	



# TERTII Confessionem anno XXIX. Gens

TI C V L I VII.

# clefia,

cie,  
STIONE

stolis omnibus  
ommendata.

ita

VVittebergensi,

IDE

# RTINI S.S. Th.

imario, Facult. Theol.

i Arcis Præposito,

DENTE

# DRO Schulz Regio-

Boruss.

ollegii Veteris

Decembr.

ERGÆ,

SIR THO, Acad. Typogr.

DC XXX.

62